

## Libri tertij

**I**ta scribitur in prologo de regimine principum. et omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a patre luminum. ut dicit alia scriptura. Et dicit beatus Augustinus. Nemo tam eruditus. nemo tam doctus qui supra illustratione non indigeat. Et beatus Gregorius. Nisi intus sit qui doceat. inuani lingua doctoris laborat. Ideo philosophia volens ostendere in quo sit vera beatitudo. inuocat diuinum auxilium quo pretermisso nullam rite fundat exordium

### Metrum nonum tertij libri

**Q**ui perpetua mundi ratione gubernas. **I**stud est metrum nonum cuius tertij quod dicitur homerici ab inuente. quod tres iubes. stabilisque manens das cuncta moueri et dicitur heroicum a materia. quod gesta heroum id est viroꝝ illustriū hoc metro describentur. et dicitur dactylicum a pede predominante. hexametrum a numero pedum: quod constat ex sex pedibus. in quo metro philosophia inuocat diuinum auxilium ad ostendendum in quo sit vera beatitudo et quomodo ad ipsam perueniat. Primo ergo philosophia captando beniuolentiam dei ipsum multipliciter commendat. secundum petitionem suam exprimit ibi. O pater. Circa primum sciendum quod tria requiruntur ad petitionem exaudiendam. Primo requiritur potentia exaudiendi. Secundo voluntas. Tertio scientia. De primis duobus dicitur in quarto huius prosa secunda. Duo sunt in quibus omnis humanorum actuum effectus constat. voluntas et potestas. quorum si alterum desit nihil est quod explicare queat. De scientia patet. quia sine ea nihil rationabiliter geritur. Volens ergo philosophia ostendere quod deus possit. velit. sciat exaudire suam petitionem. ostendit ipsum esse potentem ex mundi gubernatione. ex celi et terre creatione. ex temporis productione. secundo ostendit ipsum volentem siue beniuolum ex sui bonitate et clementia qua prouidit cuncta. tertio ostendit ipsum esse sapientem ex quorundam effectuum specialium productione. secunda ibi. quem non externe. tertia ibi. tu numeris. Primo dicit. O pater qui gubernas mundum perpetua ratione. id est est perpetua prouidentia tua. qui es factor id est creator terrarum et celi qui iubes tempus ire id est procedere ab euo id est a perpetua tua duratione. tu manens stabilis id est immutabilis das id est facis cuncta moueri. **M**otandum quod ista tota littera. qui perpetua. usque ad illam partem. O pater. debet legi suspensive. et potest. o. hic teneri uocative. admiratiue vel deprecative. **M**otandum quod gubernare est res in debitum sui finem ordinare. quod spectat ad diuinam bonitatem. regit autem prima causa omnes res preter hoc